

„populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare.“
XIV. Plurimum valebit ad excitandam populi devo-
tionem & fervorem, si animarum Directores frequenter
ac vivaciter populo exponant, quantum mali immineat
sibi, si pro Pastore bono mercenarius, aut etiam lupus

aliquis intret; quodque Deus interdum ob peccata po-
puli permittat, ut non mercenarii dumtaxat, sed & lupi
in ovile suum intrent, illudque tum suis malis exemplis
& moribus, tum pervertis doctrinis devastent, ovesque
spiritualiter occidant.

TITULUS XIV.
De Confirmatione Episcoporum.

CAPUT I.

Ad quem spectet Episcoporum Confirmatio.

- 1 Primus ad Metropolitanum cum Episcopis Compro-
vincialibus spectavit.
2 Probatur ex Concilio Nicano & Laodicano.
3 Principua auctoritas erat penes Metropolitanum; & ad
hunc solum sensim devolutum est jus confirmandi.
4 Per 13. secula apud Metropolitanum permansit.
5 Per Reservationes Pontificias seculo 14. ad Sedem A-
postolicam jus confirmandi devolvi cepit.
6 Etiam post sublatas Reservationes mansit jus confir-
mandi penes Pontificem.
7 Concordata Germanie illud Sedi Apostolica deferunt.
8 Item Concordata Gallie.
9 Similiter Indulta & Prævia privilegia nominandi Episcopos
Regi Catholico aliisque Principibus concessa.

I. Electionem Episcoporum multis seculis,
præsertim in Ecclesia Latina suffragio
Cleri ac populi factam fuisse, supra o-
stendimus; unà quoque ibidem nota-
vimus, non eam fuisse hujus electionis
viâ, sive autoritatem, ut necessariò is esset Ordinan-
dus, quem populus Ordinandum expetiisset; sed pen-
nès Metropolitanum cum Episcopis suffraganeis jus fuisse,
electionem, electamque personam examinandi;
utrum nimirum & illa Canonica esset; & hæc ad Ec-
clesiam regendam, & onus Episcopale sustinendum suf-
ficiens: atque ulterius in potestate Metropolitanì &
Episcoporum fuisse, electionem probare, vel improba-
re; prout eam vel Canoniceam, aut minùs Canoniceam
judicarent. Hoc insuper notandum, quod nec per ejus-
modi electionem, uti hodie, jus aliquod ad rem ipsi ele-
cto acquireretur, antequam per Metropolitanum, ac Ep-
iscopos Comprovinciales electio seu nominatio populi
esset probata & admittâ; ipseque electus Ordinatus & in
Cathedra collocatus.

II. Itaque Confirmatio & approbatio electionis sive
nominatonis primis Ecclesie seculis omnimoda erat
penes Episcopos Ordinatores, id est, Metropolitanum
cum Suffraganeis juxta Canonem IV. Nicænum, quo de-
cernitur: „Episcopum oportet maximè quidem ab o-
mnibus qui sunt in Provincia constituî, si autem sit hoc
difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viâ
longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos,
absentibus quoque suffragium ferentibus, scrip-
tisq; assentientibus, tunc electionem fieri, eorum au-
tem quæ sunt, Confirmationem fieri in unaquaque Provin-
cia à Metropolitanò fieri.“

Hoc Canone non de sola ordinatione sive consecra-
tione agi, sed innuit ipse consensus absentium in scriptis
requisitus; qui ad Confirmationem sive approbationem
electionis, nequaquam ad ipsam formalem ordinationem
sive consecrationem aliquid conferre potest.

Unde Canone 12. Synodi Laodicænæ edicatur, ut
„Episcopi iudicio Metropolitanorum & eorum qui cir-
cumcirca sunt Episcoporum provehantur ad Ecclesia-
sticam Dignitatem; si videlicet qui plurimo tempore

„probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conversationis
„exemplo.“

Metropolitano igitur cum vicinis, id est, Comprovin-
cialibus Episcopis defert hæc Synodus, eodem quo Nicæ-
na celebrata seculo, constitutionem sive provocationem E-
piscoporum; idque indubiè ob approbationem & con-
firmationem electionis, quæ ab ipsis, secundum temporis
illius disciplinam dependebat.

Quoniam tamen inter Episcopos Ordinatores, primus
& præses esset Metropolitanus; neque semper omnibus
Comprovincialibus Episcopis commodum esset, ad sin-
gulas Episcoporum ordinationes convenire, sensim ex
quodam ut minùs tacito Ecclesie consensu ad Metro-
politano integrum plene devolutum est jus electionis dis-
cutiendi, easque vel ut Canonice probandi, vel ut minùs
Canonicas reprobandi.

Et quidem Nicæna Synodus hanc Metropolitanì au-
toritatem in Episcoporum ordinatione in relato Ca-
none non obscure expressit his verbis: „Potestas tantè
„vel confirmatio pertinet per singulas Provincias, ad
„Metropolitanum Episcopum.“ Gratianus Dist. 64.
can. 1.

Et Canone 6. ait: „Illud generaliter clarum est: quod
„si quis præter sententiam Metropolitanam fuerit factus E-
„piscopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum
„esse non oportere.“ Dist. 64. can. 8.

Hinc illud Innocentii I. „Extra conscientiam Metro-
„politani Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum.“
Dist. 64. can. 5.

Quin & si inter Electores circa personam eligendam
sit dissensio, Metropolitanus est, eum ordinare, qui majori-
bus meritis juvatur: Ita erim ad Anastasium Thessaloni-
censem scribit S. Leo: „Cum ergo de summi Sacerdotis
„electione tractabitur, ille omnibus proponatur, quem
„Cleri, plebisque consensus, concorditer postulavit; ita
„ut si in aliam fortè personam partium se vota diriserint,
„Metropolitani iudicio, is alteri præferatur, qui majoribus
„& studiis juvatur & meritis.“

Synodus VII. Can. 2. Metropolitanum munus esse decla-
rat, futurum Episcopum examinare, probareque, an sacrâ
scientiâ sit satis instructus.

IV. Hæc disciplina Metropolitanò Confirmationem
suorum Suffraganeorum attribuens per tredecim facile
secula inconcussa permansit; eamque & jus commune
Decretalium Gregorii IX. apertissimè supponit, & confir-
mat; unde uno consensu tradunt Canonistæ, Episco-
pum de jure communi confirmandum esse à suo Metro-
politano.

Unde Joannes Eckius, ille famosus Lutheri Antagoni-
sta lib. 3. De primatu Petri cap. 40. ait, ab antiquo consti-
tutum, Episcopum quem libet à suo Metropolitanò con-
firmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem
à suo Patriarcha: miraturque quomodo contra jura (quæ
plurima ibidem profert) suas Confirmationes Episcopi,
præsertim Germani, ex Roma petant. Pergit enim:
„Quod jugum nescio quomodo Episcopi excusserunt,
„ut Confirmationem, saltem in Germania, omnes ex
„Roma petant. Forfan Viri magni & potentes, ac na-
„talibus illustres, dedignabantur confirmari ab humi-
„lis generis Metropolitanò. Hoc autem de Confirma-
„tione

„tione per Metropolitanum faciendâ, constitutum fuit
„in concilio Nicæno &c.“

V. Verùm an hæc fuerit aliquando occasio quòd Epi-
scopi pro Confirmatione ad Sedem Apostolicam recur-
rerint, nescio; illud certus est, quòd licet per Reserva-
tiones Pontificias, quæ potissimum à Joanne XXII. in-
crementum accepêre, ad Sedem Apostolicam seculo 14.
provisiones sive nominationes fuêre devolutæ; atque eo
titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ; pariter
jus confirmandi Episcopos Metropolitanis adeptum
& Sedi Apostolicæ fuerit reservatum. Indignum quippe
credebatur, ut à Romano Pontifice ad Episcopatum de-
signatus, à Metropolitanò Confirmationem petere & ac-
cipere juberetur. Quid enim id aliud, quàm nominati-
onem Pontificiam, Metropolitani iudicio probandam vel
improbendam subire?

VI. Licet verò hæc Pontificiæ reservationes quoad E-
piscopatus & Prælaturas, sive per Concordata sive per in-
dulta ac privilegia Regibus concessa quoad nominationes
& electiones ad Cathedrales Ecclesias fuerint in multis
restrictæ; scilicet reservando ipsis Capitulis Canonicas
electiones, uti contigit per Concordata Germaniæ; vel jus
nominandi Regibus ac Principibus indulgendo, tamen
Confirmationes Romano Pontifici hæctenus reservatæ
manserunt; nec quidquam juris Metropolitanis restitutum est.

VII. Et quidem Concordata Germaniæ volunt, „quod
„in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis immédia-
„tè non subiectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Cano-
„nicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur; quas etiam, ait
„Pontifex Nicolaus V. ad tempus constitutionis felicis
„recordationis Nicolai Papæ III. quæ incipit Cupientes
„expectabimus, & elapso dicto termino si non præsen-
„tata, vel si presentata, minùs Canonice fuerint, provi-
„debimus, & si Canonice fuerint, eas confirmabimus, nisi
„ex rationabili & evidenti causa, ac de doctorum Fratrum
„consilio de digniori & utiliori persona duxerimus pro-
„videndum, proviso quòd confirmati prædicti, & per
„nos provisi, Metropolitanis suis & aliis præstent debita
„juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur.“

VIII. Concordata similiter inter Leonem X. & Fran-
ciscum I. Regem Franciæ habent, ut Rex Virum gravem
qualitatis ibidem expressis instructum, & aliàs idoneum
infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum Romanis
Pontificibus seu Sedi Apostolicæ nominabit, & de persona
per Regem hujusmodi nominata per Romanos Pontifices,
seu Sedem prædictam providebitur.

Itaque etiam vi horum Concordatorum requiritur Pa-
pæ provisio: „Alioquin si à Rege nominatus (inquit Re-
„bus De Regia ad Prælaturas nominationem, verbo Pro-
„videri) receperit fructus Episcopatus ante Pape provi-
„sionem, amittit jus nominationis & dicitur interitus.“

IX. Indulta quoque ac privilegia, quibus Romani
Pontifices Regibus Hispaniæ & Principibus nostris jus
nominandi ad Cathedrales Ecclesias indulserunt, Confir-
mationem sive Provisionem Romanis Pontificibus seu
Sedi Apostolicæ reservant; nec alteri, quàm Sedi Apo-
stolicæ personam à Rege præsentari volunt.

CAPUT II.

Confirmatio dari debet prævia causæ
cognitione.

- 1 Confirmanti merito applicatur illud Apostoli: Manus
citò nemini imponere.
2 Quid sit manus citò imponere?
3 Confirmatio danda est prævio diligenti examine.
4 Ante Confirmationem citandi, qui electioni se volunt
opponere; & quomodo?
5 Informatio accipiendâ etiam circa personam electam.
6 Informatio faciendâ in loco in quo Electus solus fuit
conversari.

Van Espen Jus Eccles. P. I.

7 Quam siccitate inquisierit circa personam electam ante
Confirmationem S. Gregorius?
8 Exactum fuisse institutum examen seculo novo in hisce
Provinciis ostenditur.



I. Um is qui confirmat electum vel nomi-
natum, eundem instituat; ac propriè
Ecclesie Pastorem provideat & consti-
tuat, merito Innocentius III. in Cap. 19.
De Elect. confirmanti applicat illud
Apostoli ad Timotheum: Manus cito nemini imponeris,
neque communicaveris peccatis alienis. 1. ad Tim. 5. 22.

II. „Quid verò est (ait S. Leo Epist. 1. c. 2.) cito ma-
„nus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tem-
„pus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam
„disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non proba-
„tis.“ Gratianus Dist. 78. Can. 3.

III. Merito ergo jam pridem Sacris Canonibus cau-
tum fuit, ne Metropolitanus aliique Prælati, quibus jus
confirmandi seu probandi electiones aut nominationes
ad Ministeria Ecclesiastica præsertim Episcopatus compe-
tit, præcipitanter sine prævio maturo ac diligenti exami-
ne & informatione ad Confirmationem profilitant. Hos
renovans Concilium Lateranense sub Innocentio III. „cir-
„refragabili constitutione sancivit, quatenus eum qui-
„quam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem
„pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & ele-
„ctionis processum, & personam electi: ut cum omnia ritè
„concurrerint, munus ei Confirmationis impendatur: quia
„si secus fuerit incautè præsumptum, non solum de jeci-
„endus est indignè promotus, verùm etiam indignè pro-
„moventis puniendus. Ipsum quoque decernimus hac anim-
„adversione puniri: ut cum de ipsius confiteretur negli-
„gentia, maxime si hominem insufficientis scientiæ,
„vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitime approbave-
„rit: non solum confirmandi primum successorem il-
„lius careat potestate, verùm etiam (ne aliquo casu pe-
„nam effugiat) à perceptione proprii beneficii suspen-
„datur, quousque (si æquum fuerit) indulgentiam va-
„leat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per ma-
„litiâ excessisse, gravius subjaceat ultioni.“ Cap. 44.
De Elect.

IV. Si electus coelectum aut specialem suæ electionis
adversarium habeat, is ante Confirmationem nominatum
vocandus erit; aliàs ubi concursus fuit electio, aut nullus
nominatum se electioni opponit, generale ac perempto-
rium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua elec-
tio facta est: ut si qui sint, qui se volunt, opponere, con-
stituto termino veniant. Cap. fin. de elect. in VI. ubi &
Confirmationes hinc non observatis factæ, declarantur
viris omnino carere, irritæ & inanes.

V. Examen, seu informationem esse faciendam, non
tantum circa electionis processum, sed etiam personam
electi, declarat citatum Lateranensis Concilii sub Inno-
centio III. Decretum. Et quidem quòd tria præcipue in-
quirenda sint in persona electi, videlicet, ætas legitima,
morum honestas, & litteratura sufficiens, scribit idem In-
nocentius Archiepiscopo & Capitulo Capuano in c. 19.
De Elect. IN INTEGRÀ.

VI. Quia verò vita cujusque exactius nosci potest in loco
in quo quis diu conversatus fuit, ibidem inquirendum est
de moribus electi, c. 3. de elect. quod sub nomine Gre-
gorii III. retulit Raymond. ar, ut rectè notavit Anton. s
Augustinus in notis ad primam collectionem Decretal.
fragmentum est, licet truncatum, & in nonnullis immu-
tatum, ep. 18. lib. 8. S. Gregorii ad Anthemium Subdiaco-
num Campaniæ; ex qua apparet, quàm fuerit hic S. Pon-
tifex sollicitus, ut accuratè de vita moribusque electi esset
instructus, priusquàm electionem suo assensu probaret, atque
unâ intelligatur, quàm utile sit ad intellectum Subdiaco-
norum, recurrere ad fontes è quibus sua Raymond. ar. aut alii
Decretalium collatores hauserunt: uti laudis in tractatu

H 2 Histo.

Historico-Canonico in Canones part. 8. cap. 1. §. 6. monni.

VII. Itaque in citata epistola scribit S. Gregorius: "Postquam is, qui ad Episcopatum Surrentinæ civitatis electus fuerat, aptus nobis visus non est, Amandum Presbyterum Oratorii S. Severini, quod in castro Luculano situm est, elegerunt. Ea propter experientia tua præcipimus, ut eundem Presbyterum excusatione postposita, sub omni ad nos studeat festinatione transmittere: quatenus petentium desideria cum Christi auxilio, si nihil est quod eum impediatur, implentur. Cujus vita vel actus, quia melius possunt illic ubi diu est conversatus, agnoscere, curæ tuæ sit cum fratre & Episcopo nostro fortunato de eo diligenter inquirere. Et si nulla sunt quæ ad sacrum Ordinem obistere valent, ad nos debet omni postposita tarditate transmitti."

Quam exactum examen super electionis processu, & persona electi per Metropolitanum saculo nono, etiam hisce in partibus institueretur; abundè probat examinatio Villeberti Catalaunensis ordinandi Episcopi per Hincmarum Remensem Metropolitanum, assidentibus Provincia Remensis, & aliarum Provinciarum Episcopis: quæ extat integra in appendice Tom. 8. Conciliorum generalium editionis Labeanæ col. 1878.

Firmum itaque & constans semper fuit, Confirmationem Episcoporum non esse leviter annuendam; sed ferium tam super qualitatibus electi, quam forma electionis examen esse præmittendum; quamvis ritus hujus examinis, & Confirmationis pro temporum & locorum diversitate varius fuerit; quemadmodum in sequentibus ostendetur.

CAPUT III.

Per quos, & quâ formâ hodie informatio de Nominatis ad Episcopatum sumatur?

- 1 Synodus Tridentina non determinavit per quem aut quâ formâ faciendâ sit informatio.
- 2 Vult dicta Synodus, ut in Synodo Provinciali forma præscribatur.
- 3 Forma examinis in Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. præscripta.
- 4 Eadem in Synodo ejusdem Provincia anno 1586. & in Mechliniensis anno 1570. probatur.
- 5 Patres harum Synodorum non crediderunt, per Synodum Tridentinam solis Nuntiis Apostolicis informationem demandatam fuisse.
- 6 Neque id in Gallia creditum: & quid in Comitibus Blesensibus super forma examinis decretum?
- 7 Gregorius XIV. & Urbanus VIII. declararunt, informationem non esse sumendam per Ordinarios, nisi deficientibus Legatis Sedis Apostolicæ.
- 8 Synodus Provincialis Mechliniensis an. 1607. recepit Bullam Gregorii XIV.
- 9 Conformiter ad illam Bullam in hisce Provinciis soli Nuntii Apostolici exclusi Ordinariis informationes accipiunt.
- 10 In Gallia id non aequè receptum.
- 11 Quid anno 1596. Notabiles Regni in conventu Rothomagensi de hac re Regi proposuerint?
- 12 Quid occasione Nominati ad Episcopatum Conventuarum anno 1639. à Parlamento Parisiensi decretum sit.
- 13 Praxis Gallie habet, quod Nominatus jubeat informationes accipi per Episcopum ultimæ suæ residentie.
- 14 Omnes quibus jus nominandi aut confirmandi Episcopos competit, merito de vita & moribus inquireunt.
- 15 Pontifices à faciendâ informatione excludunt, qui Nominatum in tertio consanguinitatis aut affinitatis gradu contingit.
- 16 Prælatus ad faciendam informationem designati, tenentur eam facere per se.

17 Prælatus inquirens per se ex officio testes vocare & examinare debet; idque secretò.

18 Testes debent esse viri graves, prudentes & pii.

19 Testes debent scire quæ requiruntur in promovendo ad Episcopatum.

20 Consanguinei & familiares; item amici & inimici in testes non recipiendi.

21 Non sufficit aliquem gradu Academico esse insignitum, sed major de ejus doctrina habenda notitia.

I. Synodus Tridentina Sess. 22. cap. 2. *De reformatione*, expressis qualitatibus in assumendo ad Ecclesiam Cathedrali requisitis, subjungit: "Quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla aut recens in Curia fuerit, à Sedis Apostolicæ Legatis seu Nuntiis Provincialium, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, à vicinioribus Ordinariis sumatur."

Decretum hoc nequaquam determinat, per quem aut qua formâ in singulis Provinciis informatio sive instructio de qualitatibus assumendi ad Ecclesiam Cathedrali sumenda sit; sed eam vel à Legatis seu Nuntiis Apostolicis, aut Ordinario ejus qui assumendus est, accipi posse tantummodo dicit: quod & non obscurè insinuat Sess. 24. cap. 1. *De reformatione*, ubi expressè fatetur, in accipiendâ hac informatione, non uniformem rationem ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate posse adhiberi.

II. Quapropter mandat, "ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda, præscribatur, quibusque locis, & Provinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis, atque opportuna esse videbitur."

III. Conformiter huic Tridentino Decreto, Synodus Cameracensis Provincialis anno 1565. titulo *De examine Episcoporum* formam inquisitionis sive informationis de nominato ad Cathedrali Ecclesiam his verbis expressit: "Ubi autem vel electio, vel postulatio, aut nominatio facta fuerit; per eos eumve quorum aut cujus instructio, auctoritate Metropolitanæ, aut si defuerit, vicinioris Episcopi Provinciae affixis sæculis denunciationibus ad valvas vacantis Ecclesiæ, denuntietur patere, aditum omnibus, qui sciunt aut impedimentum aut vitium esse aliquod, quamobrem electus, vel postulatus, aut nominatus minime promoveri debeat; ut liberè, ac tutò eidem Episcopo aut Archiepiscopo denunciati intra tempus definitum significant: idemque assumptis secum duobus vacantibus Ecclesiæ Canonicis testes productos audiat, & examinet: quaraturque de natalium integritate, de ætate, an sit annorum triginta, de vita, moribus, & exercitiis, de gradu, statu, facultate, an Doctor, an doctus saltem; sitque iis virtutibus præditus, quas Apostolus in Episcopo requirit: & an sex mensium spatio in sacro Ordine fuerit constitutus. Quæ omnia fideliter descripta, ac ejusdem Episcopi, aut Archiepiscopi manu, ac sigillo firmata, & obligata mittantur ad S. D. Papam, ut sufficienter instructus confirmare tutius electum, postulatam, aut nominatum queat."

IV. Et ejusdem Provinciae altera Synodus anno 1586. habita, vult, ut "novo Episcopo Electo aut Nominato processus super ejus doctrina & moribus Romam transmittendus fiat, juxta dispositionem, ait, Decreti primi Concilii Provincialis." Tit. 17. cap. 9.

Similem formam sumendæ informationis in Synodo Provinciali Mechliniensis titulo de *Episcopis* cap. 1. & 2. præscriptam habemus.

V. Hinc patet, quod tamen si Episcopatum Belgii tunc temporis provilio ac Confirmatio à Sede Apostolica petenda & accipienda esset, nihilominus instructio seu infor-

informatio super qualitatibus promovendorum per Metropolitanum, aut eo absente, seniore Saffraganeum fieret; adeoque nec crederent Synodorum harum Patres, vi Decreti Concilii Tridentini, solis Legatis, seu Nuntiis Sedis Apostolicæ jus sumendi informationes competere.

VI. In Gallia quoque non obstante prædicto Concilii Tridentini Decreto, informationes nequaquam per Nuntios Apostolicos, sed per Ordinarios pluribus annis factæ sunt.

Nam in Comitibus Blesensibus anno 1576. inter alia decretum fuit, ut priusquam litteræ nominationis Regiæ ad Pontificem miti solitæ expediantur, nomina eorum qui per Regem nominati sunt, mittantur ad Episcopum Diocesannum loci ubi Nominati ultimis annis residerint, & domicilium habuerint; ac etiam ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui respectivè inquirent de vita, moribus, bona disciplina, & conversatione Catholica dictorum Nominatorum; & de omnibus conficiant legitimos processus verbales, quos clausos & obliatos quantocumque transmittent.

Insuper statutum est, ut ante expeditionem litterarum nominationis, dicti Nominati examinentur super eorum in Sacris Litteris eruditione per unum Archi-Episcopum aut Episcopum per Regem designandum, adscitis duobus Doctoribus Theologiæ, qui de Nominatorum sufficientia aut insufficientia testimonium ad Regem mittent.

Post hæc supervenit Bulla Gregorii XIV. quæ incipit, *Onus Apostolicæ* edita 1. Maji 1591. quæ prædictum Decretum Concilii Tridentini renovatur, ac multa insuper circa formam faciendæ informationis adduntur & explicantur.

VII. Ac imprimis præcipit, "ut cum extra Romanam, nemo omnino cujuscumque status, gradus, conditionis, ve fuerit, inquisitionem sibi arrogare præsumat, sed integrum hoc negotium iis, qui à prædicto Tridentino Concilio designantur, Apostolicæ videlicet Sedis Legatis, seu Nuntiis Provincialium, aut ejus de quo inquisitione sit Ordinarius, eoque deficiente Ordinariis vicinioribus relinquatur; nisi iustis de causis nobis aut pro tempore exidenti Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum visum fuerit."

Deinde addit: "Quod si forte aliquis prædictorum, consanguinitate aut affinitate usque ad tertium gradum, inclusivè promovendum contigerit, ut omnis suspicio carnalis affectus à tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censetur exclusus, atque ad eum, qui proxime sequitur, hoc est, si legatus excludendus erit, ad Nuntium; si Nuntius, ad Ordinarium; si Ordinarius, ad viciniorum Ordinariarum inquisitionis officium deferatur."

Ex quibus non obscurum est, Pontificem in hac Bulla, inquisitionem sive examen de qualitatibus promovendi, dumtaxat deficientibus Legatis vel Nuntiis Apostolicis per Ordinarios fieri velle; quod & in sequentibus his verbis rursus insinuat: "Quod si de Episcopo, vel Metropolitano extra Romanam Curiam degente ab una Ecclesia ad aliam ex aliqua gravi & iusta causa transferendo ageretur, hoc munus Legato vel Nuntio Apostolico ejus Provinciae, aut Regni ubi Ecclesia ipsa, à qua transferatur, sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad Saffraganeum vero antiquiorem residentem, si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus."

Hanc Sedis Apostolicæ mentem clarioribus terminis expressit Urbanus VIII. anno 1627. in nova ac particulari instructione circa conficiendos processus inquisitionis super qualitatibus promovendorum ad regimen Cathedralium, aut aliarum Superiorum Ecclesiarum.

"Si processus inquisitionis, ait, conficiendus sit extra

Romanam Curiam, hoc munus spectet ad Legatos Sedis Apostolicæ, vel ad Nuntios Provincialium in locis, in quibus commorantur: Si non adsint Legati; neque Nuntii, spectet ad Ordinarios per locorum promovendum, & ipsi deficientibus, ad Ordinarios viciniores, qui ordo servandus est, neque quisquam debet sibi hoc munus arrogare præter ordinem prædictum, nisi Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri illud demandare placuerit. Quo casu apparere debet de mandato speciali in principio processus."

VIII. Synodus Provincialis Mechliniensis anno septimo labentis sæculi juxta præcitatum Gregorii XIV. Bullam processum super qualitatibus promovendi ad Episcopatum fieri mandat. "Factâ novi Episcopi nominatione, (inquit tit. 16. c. 8.) processus super ejus natalibus, vita, ætate, doctrinâ & moribus, Romam transmittendus, fiat juxta dispositionem Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit, *Onus Apostolicæ*."

IX. Porro quia hæc Bulla, uti jam notatum est, informationem non permittit fieri per Ordinarios, nisi deficientibus Legatis aut Nuntiis Apostolicis, in Belgio tandem receptum fuit, ut dicta informatio ac processus fiat per Nuntium sive Internuntium Apostolicum in hisce Provinciis residentem; neque Ordinarii ullas in processu illo formando partes habeant.

X. Galli verò agrè hanc provinciam Nuntiis Apostolicis permittere volunt; sed ad Ordinarios, & alios à Rege committendos spectare contendunt.

Et quidem in reconciliatione Henrici IV. propositus à Pontifice hic articulus, quod omnes informationes de vita & moribus & religione, quæ post hæc fieri ratione provisionis Beneficiorum consistorialium in Gallia, fieri per Nuntios & alios Ministros Sedis Apostolicæ, tamquam moribus Regni contrarius à Rege rejectus fuit.

XI. Rursus anno 1596. Notabiles sive Primores Regni congregati Rothomagi suggererunt Regi, quod iis in locis, in quibus non videtur hæc Regiæ suæ Majestati conveniens restituere electiones, dignetur interea in nominationibus suis jubere observari articulum 2. Comitiorum Blesensium anni 1576. atque eundem ampliando præcipere, ut informationes super religione, vita, moribus & doctrinâ promovendorum ad Archiepiscopatum fiant per Episcopum Provinciale seniore in ordine Episcopali & residente: Et promovendorum ad Episcopatum per Archiepiscopum in Provincia residentem; & in hujus absentia per seniore Episcopum Provinciae similiter residentem, adscitis tribus Canonicis Ecclesiarum vacantium, à Capitulis ad hunc effectum deputatis.

Et ad obviandum abusibus qui committuntur in faciendis informationibus ad Curiam Romanam mittendis per dictos Nominatos ad Prælaturas, pro quibus informationibus faciendis accipiunt committarios, & testes adducunt, quos sibi convenire judicant; supplicat Regi, quatenus dignetur statuere, ut prædictæ informationes fiant à dictis Archiepiscopis & Episcopis in forma superius descripta; quodque Archiepiscopi & Episcopi has informationes facientes, inquirent quoque de mediis, quibus obtentæ sint nominationes ad Archiepiscopatum vel Episcopatum; etiam de confidentia & Simonia, pensionibus, & pactioibus illicitis, si quæ intervenerint. Et ubi hæc informationum forma observata non fuerit, possint Capitula interponere appellationem tamquam ab abusu ab executione provisionum ad Archiepiscopatum & Episcopatum; qua pendente non tenebuntur provisiones recipere ad Archiepiscopatum vel Episcopatum, nec ut tales agnoscerent.

XII. Rursus cum anno 1639. Pontifex differret dare provisionem Nominato à Rege ad Episcopatum Conventuarum, quia informationes ad Curiam Romanam missæ, factæ essent in forma superius descriptâ; ac insuper à Sacra Congregatione decretum fuisset, ut dictus No-